

Q. D. B. V.

DISSER TATIO GRADUALIS,
IMMORTALITATEM ANIMÆ

**CONTRA
IRRELIGIONARIOS
A PODICTICE
DEMONSTRATAM SISTENS:**

QUAM

Natu Amplissimæ Facult. Philos. ad Auram

Sub PRÆSIDIO

VIRI MAXIME REVERENDI atque CELEBERRIMI

**D:NI C A R O L I
MESTERTON,**

S. S. Theol. DOCT. Scient. Log. & Methaphys.
PROFESS. Reg. & ORD.

Publico examini modeste subjicit,

HENRICUS CALONIUS,


V. D. M.

WIBURGENSIS,

Die VII. Maji, Anni MDCCCLX.

L. H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.



A. 148 Ω.

§. I.



Um summus ille rerum arbiter, omnes Spiritus, ad sui cognitionem & amorem, indeque ad unionem & participationem, felicitatis suæ, nunquam non interrumpendæ considerat, immortales eos quoque esse voluit. Non enim contempnenda felicitatis pars est, scire nec bona sibi unquam defutura, nec se illis bonis. Eadem quoque humanæ mentis indoles atque natura est, quæ non ut brutorum animæ, suo cum corpore perit; sed in omne ævum est & manet immortalis. Hæc illa est veritas, quam argumentis e penu rationis depromtis, in præsenti dissertatione demonstraturi sumus: nihil curantes, quidquid moliantur, qui certitudinem ejus in dubium vocare sustinent. Sed cur quæso alia omnia,
quæ

quæ paucissimis iisque levissimis fulta conjecturis,
de anima traduntur, pro indubitatis recipiuntur:
hoc unum tanto rationum agmine stipatum muni-
tumque in dubium vocatur, vel dictu horrendum,
in totum negatur? Nonne rationales homines,
qui factis suis, desiderium immortalitatis, cordi-
bus suis inditum demonstrant: hæc molientes, a-
pertum quasi bellum, animarum suarum immorta-
litati, indixisse videntur? Dolemus hoc factum,
ex hominum partim *ignorantia*, qui sensibus suis
externis, omnia metientes, in animum induxe-
runt, nihil fide dignum judicare, nisi quod in ik-
los caderet: partim *malitia & pravitate*, deliciis
namque & voluptatibus carnis immersi, persuadere
sibi conati sunt, animam cum corpore concidere,
eamque persuationem, argumentis undiqueaque
corrasis, ad liquidum perducere; quo sic exulante
metu poenarum, post mortem infligendarum, ef-
frenam ipsis vitam, non obmurmurante consciен-
tia, ducere liceret. Claret itaque hinc, præcipuum
religionis & cultus Divini fundamentum, eos sub-
rutum ire, qui animam mortalem adserunt. Hac
enim adserita, tolluntur præmia & poenæ, quibus
genus humanum vel maxime, ad hanc vitam per-
fectionibus Divinis convenienter transligendam, in-
duci solent. Fieri equidem potest, ut ille, qui a-
nimam, corpori superstitem manere negat, DEum
intuitu bonorum temporalium colat; sed hujusmo-
di cultu, religionem ad minimam partem absolvi,
res ipsa loquitur. Veritas itaque hæc, cum in u-

niversa vita & pietate, imo in hominum beatitudine aut extrema miseria, maximi sit momenti; ea ab omnibus adversariorum exceptionibus, vindicanda erit. Ad hoc itaque nos accingentes, historiam ejus in antecessum, paucis attingamus.

§. II.

QUæstio de immortalitate animæ, cum inter omnis ævi Philosophos sit vexatissima; mirandum sane est, quod nulla hactenus nota sit controversia, circa quam in tam diversa abeant, & ex qua, se minori cum laude, extricare potuerint; quam ab hac, quæ animæ naturam respicit. Sed adscribendum hoc erit, partim *difficultati ipsius rei*, quæ supra sensus posita est: partim *ipsius Philosophi*, qui magis in explicanda unione, animam & corpus intercedente, quam ipsa ejus natura indaganda desudavere. Illi namque vim, qua corpus ad se ipsum movendum gaudet, non probe distingventes ab illa, qua quidam corporei motus, a voluntate entis intelligentis dependent: existimarent animam esse corpus vel ad minimum harmoniam aut motum corporis. Alii iterum, ad operationes mentis nobiliores, animum convertentes, immateriale eum quidem esse contendunt; ast dum harum excellentiam atque præstantiam, nimis demirantur, eum ex essentia Divina promanasse somniant; dum autem omnes functiones, quas in nobis observare licet, eidem tribuant, eum ex parte spiritualem, & ex parte materialem statuunt,

statuunt, quod quam insipidum sit, nemo non intelligit. Sed non permittit instituti ratio, omnes Philosophorum, circa animarum naturam, sententias exponere, fecit namque id, *Budd. in Thes. de Atheis. & Superst. Cap. III: §. XI.* Nostrum itaque erit, historiam dogmatis de immortalitate animarum, paucis attingere. Ad rem itaque quod attinet, Sacratoribus edocti literis, veram & genuinam, de immortalitate animarum doctrinam, initia sua Genti Ebrææ debere, intrepide defendimus; licet Herodotus in *libr. Hist. XI: Cap. CXXVIII.* Ægyptiis, & Pausanias in meceniacis pag. 277. Chaldæorum & Indorum Genti, gloriam hujus inventionis vindicet dicendo: Εγώ δὲ χαλδαῖς, τοῖς Ἰνδῶν μάγοις, περίτεχνοισι εἰπούσαις, ως αἴγανοις εἰν αὐθεόπιστων ψυχῇ. Sanum hoc dogma, progressu temporum, in Gente Ebræa, depravatum atque corruptum fuit, a Sadducæis, existentiam Spirituum, animæque immortalitatem negantibus, vid. *Aet. XXIII: 8.* atque *Math. XXII: 30.* & Phariseis, doctrinam gentilium de Μετεύψυχωσι, per totum fere orientem receptam, suo calculo adprobantibus, Flavio Josepho in *Libr. de Bel. Iud. II: Cap. XXII: §. 15,* ejus rei testimonium perhibente. Sed non Gens solum Ebræa, verum etiam reliqui Orientales, a Græcis barbari dicti, ipsi Græci & Romani ut & prisci Germani, Celtæ & Galli, ut ceteras sicco prætereamus pede, huic dogmati adsensum, licet erroneum nec satis firmum, præbuerunt; quemadmodum, decantata eorum fortitudo belli-

ca, quæ mirum quantum spe alterius vitæ exitabatur, illud extra omne ponit dubium. Sed his jam omissis dispiciamus, quid in primis Philosophi, hac in re præstiterint, quidve apud eos desideretur. *Socrates* insignis ille Græciæ Philosophus, multa quidem de indestructibilitate, primo illo immortalitatis animæ requisito, egregie satis cum amicis suis, morti vicinus differuit, insimulque significavit, spem quandam sibi adfulgere, de secundo, perseveratione nempe in statu idealium distinctarum; ast de tertio, seu subsistentia personalitatis, nihil omnino noverat. Et si quidem quod res est, nobis dicendum erit, adfirmare non dubitamus; persuationem etiam ipsius, de duobus prioribus momentis, mancam satis, infirmam ac vacillantem fuisse. Hæsitatio ejus de hisce rebus, in hora mortis declarata, nostri adserti, luculenter ostendit veritatem. Sed nec *Platonis* de scitis hisce Socraticis, in *Phædone* expositis, magis firmata erat cognitio; quin potius ex *Axiocho* ipsius patet, eum in his rebus majori laborasse obscuritate. *Aristoteles*, qui sine dubio, & Socratis & Platonis perlustravit & ulterius ruminavit cogitata, ea adeo insufficientia ad id, quod petitur demonstrandum deprehendit; ut nobis difficile omnino sit judicatu, an animæ immortalitatem negaverit, an vero pro ea pugnaverit, in primis cum magni nominis viri, hac in quæstione, in diversa abeant. Ex Scholasticis *Scotus* ille, qui nomen *Doctoris subtilis* meruit, argumenta tam patrum quam

quam Philosophorum, pro demonstranda indestructibilitate animæ, qua totam immortalitatis notionem absolví, perperam existimárunt, sub incudem revocavit; eorumque vim, ad convincendū, adeo infirmam reperit, ut adserere non dubitaret, nos sola fide Divina, ea de re convinci, inque eo, Poncium & Bojvinum imo plerosque Scholasticæ Philosophiæ cultores, sibi consentientes habuit. *Cartesius* iterum nihil ex professo hac de re tradidit; proposuerat quippe nihil literis mandare aliud, quam quod accuratis demonstrationibus corroborare valeret. Et quamvis in Synopsi meditationum suarum, principia adstruendæ indestructibilitatis posuisse videatur; illud tamen ipsi in mente haud fuisse, evincit *Epist. IX: vol. I. p. m. 25.* ad Elisabetham principem palatinam, ubi se non procul a Scotti sententia abesse testatur. Nec denique majora a *Gassendo* polliceri audemus, ut pote qui tantum collectorem argumentorum communium agit, quorum imbecillem, ad animos legentium convincendos vim, in integro suo cursu Philosophico, abunde monstratam dedit Poncius. Primus, qui aliquid egregii hac in re præstítit, acutissimus est *Leibnitius*. Ille namque ne animas brutorum, immortales esse concedere teneretur, in Theodicæa & ejus part. I: §. 89. immortalitatem animæ, a nuda indestructibilitate distinctam redidit; requirendo insuper ad completam ejus demonstrationem, tam perseverantiam in statu idearum distinctarum, quam subsistentiam personalitatis,

tis, at nullas harum addidit rationes. Successit tandem ei illustris *Wolfius*, qui in vindicanda ab exceptionibus, animæ immortalitate, viam ab incomparabili Leibnitio monstratam ingressus est, eamque immotis rationibus suffultam comprobavit. Plurimi etiam ex recentioribus, ejus vestigia presserunt; sed non vacat, ulterius aliquid de iis addere. Si itaque uti ex dictis patet, demonstratio immortalitatis animæ, viros acutissimi ingenii adeo torserit, ut quo se verterent, nescirent; quid mirandum irreligionarios, utpote *Vannimum & de la Metrie*, ut reliquis recensendis supersedeamus, eam in totum negare. Ardua sane & difficilis demonstratu est res, sed insimul columna religionis salutanda; non itaque ingratam nos facturos confidimus operam, si quæ apud Philosophos dispersa sunt, collecta uno quasi obtutu, comprehendenda ob oculos ponamus.

§. III.

Quemadmodum DEUS, totum hoc universum, gloriæ suæ manifestandæ illustrandæque gratia produxit; ita etiam omnes res creatas, sic disposuit & ordinavit, ut ex illis, summa ejus perfeccio & attributorum præstantia intelligeretur. Intelligere autem, cum sit creaturarum rationalium; oportuit entia ejusmodi produci, quæ gauderent facultate, sapientissimum & omnipotentem conditorem, ex operibus cognoscendi. Horum in numerum jure etiam refertur homo; qui licet

corpore

corpo^re constet mortali, habet tamen eidem substantiam cogitantem, arctissime unitam, ut sua quavis docet experientia. Hujus itaque jam demonstratur immortalitatem; notionem ejus genuinam in antecessum ut evolvamus, res ipsa postulat. *Immortalitate* nihil præter perpetuam vitæ continuationem indigitamus; *vita* autem in perpetua & continua entis actuositate consistit. Hinc itaque prono ut dici solet, fluit alveo, id quod jam in §. præcedenti innuimus, ad perennitatem scilicet animæ requiri, ut post mortem corporis, in omne ævum superstes maneat, non ex dispensatione quadam externa, sed propria sua natura. Gaudeat porro perceptionibus rerum, & desideriis ita comparatis, ut ipse earum sit conscia, ut distinctæ sint, unaque alteram ordine excipiat, quo sic usus intellectus & voluntatis non turbatus, in omnibus ejus functionibus appareat. Cohærent denique repræsentationes hæ, ut & appetitus inter se, respondeantque ideis & desideriis animæ in hac vita; adeo ut illa gaudeat facultate, eas reproducendi & reproductas recognoscendi. Hinc necesse est, agnoscat identitatem sui, in hoc & priori statu, nec dubitet commoda vel incommoda status præsentis, esse conseq^taria actionum in tempore patratarum vel omissarum. Hæc jam genuina illa & completa, immortalitatis animæ est notio, quam etiam ipse, in omne ævum benedictus Salvator habuit; ut vel ex sola narratione *Luc. XVI.* de statu divitis epulonis post mortem,

cuivis colligere primum est. Discimus namque inde, animam ejus post horam corporis decretoriam, superstitem fuisse, en *indestructibilitatem* adsertam! Lazarum deinde & Abrahamum, eandem agnoscere, adeoque a se invicem & aliis rebus distinxisse, idem testatur locus; accipe igitur *perseverantiam in statu idearum distinctarum*. Ostendit tandem eandem fratrum, qui adhuc superstites erant, recordatam, adeoque status præteriti memoria instructam fuisse, vides itaque jam, *subsistentiam personalitatis*. O mirandam, Salvatoris optimi, in simplicitate profunditatem! Acutissimi Philosophorum in extricanda hac re, operam atque oleum perdiderunt; adeo ut ne genuinam quidem & adæquatam immortalitatis notionem, ante Leibnitium ipsis statuere licuerit: cum tamen in Sacro codice jam longis retro seculis, explicata comparuerit. Vides itaque novum, pro Divina S. Sacræ origine argumentum. Sed omissis his, ostendamus jam opportet, tria hæc allata immortalitatis requisita, in animam post ejus e corpore discessum quadrare; quod si demonstratum dare valemus; & somnia cum perenni somno statuque indolentiae remota, & permanentem ejus spiritualitatem, luculenter satis adsertam existimamus.

§. IV.

NOs esse nostri rerumque aliarum extra nos positarum conscos, propria unum quemque experientia, omni argumentorum pondere fortius convin-

convincit; adeo ut vel dubitando ea de re confirmetur. Ens vero illud, quod in nobis sui aliarumque rerum extra nos positarum, conscientium est, communi nomine, *Anima humana* appellari sivevit. Hujus itaque jam perennitatem demonstraturi, dispiciamus oportet, num illa substantia, num accidentis sit, an substantia simplex an vero composita. *Substantia* nobis est ens, quod perdurat, variaeque subinde recipere potest affectiones; *Accidentia*, vero affectiones alicui enti ita inherentes, ut sine ente cui insunt, concipi nequeant. *Anima* quando sui aliarumque rerum extra se positarum conscientia est; se ipsam ab aliis rebus & res ipsas, a se invicem discernit, adeoque aliquid agit: sed affectiones & passiones non sunt nisi existentium, perdurat itaque anima. Cum anima se ab aliis rebus, easque a se invicem discernit; ideas, judicia & ratiocinia, de se & aliis format; sed haec omnia animae ita inherent, ut sine illa vel alio quodam ente cogitante concipi nequeant: sunt itaque haec operationes, animae affectiones. Sed ens quod perdurat & variae subinde recipit affectiones, dicitur *substantia*; est itaque anima substantia. *Substantia* & *accidentia* sunt opposita, & oppositorum opposita est ratio; nunquam itaque anima accidentis erit. Si vero uti jam demonstratum dedimus, substantia est, examinandum erit, an simplex an vero composita sit.

§. V.

Ex iis, quæ in præcedentibus differuimus, op-
pido patet, animam esse ens, sui rerumque
aliarum extra se positarum conscientium; adeoque
substantiam cogitantem; cum *cogitatio* nihil invol-
vat, præter actum animæ, quo sibi sui rerumque
aliarum extra se positarum conscientia est! Erit ita-
que jam paucis dispiciendum, num facultas hæc
competat enti composito, an vero eidem, vi suæ
naturæ absolute repugnet. In omni cogitatione,
adest perceptio & apperceptio; & sine his nulla
dari potest cogitatio. Non quidem inficiamus
priorem cogitationis partem, nudam puta perce-
ptionem, impressione quadam in organa sensoria
excitatam; in cerebro & alio quodam composito
existere posse, sed de eo jam non quæritur, unum
illud hoc loco in censum venit, an perceptio cum
apperceptione juncta, h. e. facultas cogitandi, lo-
cum in composito inveniat. Cogitatio omnis ne-
cessario requirit, attentionem, comparationem &
reflexionem, uti a Celeberrimo Wallerio *Psych.*
Rat. §. 13. demonstratum est; hæc vero operatio-
nem quandam requirunt, adest itaque in iis actio.
Sed omnis actio, quæ composito attribuenda est,
aut in ipso motu consistit aut ad motum tendit;
fatentibus omnibus, qui principiis physicis vel
mediocriter sunt imbuti, conf. præterea *Wallerii*
Metaph. §. 986. 987. Hinc si corpus cogitandi gau-
deret facultate, fieret id per motum. Idque vel
per motum totius, vel per motum partium intestinum,
vel

vel denique per motum totius & partium simul. Non per motum totius, nam cogitatio simultaneam, in eo postularet diversitatem, quod implicat; nec per motum partium intestinum, efficeret namque is, ut compositum nullo non tempore novum & essentialiter a priori diversum esset; nec denique tertio illo modo, cogitandi actus absolvi possunt, eadem enim hoc posito recurrerent absurdia, ac in duobus prioribus modis junctim sumtis, conf. *Waller. Psych. Rat. Cap. I. §. 25.* Repugnat itaque cogitandi facultas, composito vi suæ naturæ. Sed quidquid composito in genere repugnat, illud etiam simul contradicit, cuilibet sub illo comprehensæ speciei etiam minutissimæ: hinc nec minimis corporis humani partibus, utpote fluido nerveo, laudata facultas vindicari potest. Sed erunt forsan, qui cum philosopho quodam Anglico, eoque non incelebri existiment; per omnipotentiam Divinam fieri posse, ut materia cogitet, licet modus nobis sit ignotus. Sed facilis ad hoc ipsum est responsio: quem enim, qui vel primis labris principia degustavit metaphysica, fugere potest, essentias rerum esse immutabiles earumque attributa incommunicaabilia: adeo ut absolute sit impossibile, etiam omnipotentia Divinæ, communicare materiæ vim, a natura ipsius plane abhorrentem; nisi absurde & impie simul, contradictoria omnipotentia Divinæ objectum statuere velimus. Cum igitur composite, laudata facultas competere nequeat, & præter simplex, aliud entis genus non amplius detur; ni-

nihil remanet aliud, quam ut simplici hanc facultatem adscribamus. Facultate autem hac, animam nostram instructam esse, cum nemo nisi, qui plus quam temerario ausu, omnem experientiam, falsitatis postulare velit, negare audeat; substantiam etiam simplicem, omnis compositionis materialis expertem, illam esse fateatur necesse est.

§. VI.

Ex evicta nuper simplici animæ nostræ natura, prono fluit alveo, illam per corruptionem, quæ nihil præter dissolutionem partium involvit, interire haud posse. Ea namque simplicis est natura, ut non modo, quo composita intereunt, suam amittere queat existentiam. Habet enim naturam, omni enti composito e diametro oppositam; quare quod compositorum est proprium, eidem tribui nequit. Hinc anima nulla continet, interna destructionis in se principia; vi quorum ex propria sua natura, absque speciali aliquo DEI concursu interiret. Ex hac tamen ejus incorruptibilitate adserta, nondum inferre licet, omnem plane illi repugnare interitum. Nam cum sit ens contingens, omnem in partes dissolutionem respuens; potest ad primum suum nihil, annihilando redigi. Sed hoc ipsum, nec per ipsam animam, nec per vires entis cuiusdam finiti actuari potest; cum annihilatione æque ac creatio, omnes vires finitas longe superet soloque competit DEO, ut in Theologia Naturali, ex instituto demonstratur.

Quam-

Quamdiu itaque anima, a DEO non annihilatur; tamdiu etiam in existendo perdurat atque corpori manet superstes. Jam vero attributa divina non permittunt, animam in nihilum redigi; ut illud ex consideratione, immutabilis Divinæ voluntatis ac sapientiæ, quibus hoc dogma e diametro adversatur, cuivis prourum est colligere. Manifestationem etenim gloriæ suæ, eum tunc amplius non velle, aut hunc finem sine creaturis rationalibus, eum obtainere posse statuendum erit; quibus positionibus, absurdius ponit potest nihil. Nec præterea hoc ipsum, cum summa sanctissimi creatoris, justitia & bonitate, conciliari potest; cum quotidiana experientia abunde evincat, malis bene, bonis vero male, in vita hac temporali cedere. Patet itaque hinc, justitiam & bonitatem Divinam efflagitare, ut animæ natura sua incorruptibiles, non annihilentur; sed vel ad poenas vel ad præmia, pro ratione vitæ in tempore transactæ reserventur. Hinc itaque sponte quasi sequitur, DEUM animas humanas non in nihilum redigere, sed potius existentiam illorum, post corporis interitum conservare, cum sine hac, ceu entia finita, in existendo perdurare nequeant. Perdurat itaque anima corpore soluta, ex propria sua natura, in existendo.

§. VII.

Continuatione existentiæ animæ, in æviternum perduratura, in tutum collocata; nondum sequi-

sequitur immortalitas, utpote quæ magis adhuc præsupponit. Erit itaque nobis, pro ratione ordinis instituti, insuper ostendendum, animam post discessum e corpore, perceptionibus rerum, iisque claris, distinctis & secundum regulas logico morales, se invicem excipientibus instructam esse, earumque quemadmodum & appetituum & aversationum, quas penes se, necesse est sentiet, conscientiam esse. Quod si evictum dare queamus, plurimum præsenti argumento, exinde roboris, accessorum confidimus. Sine *sensatione sui*, animam nec rerum a se diversarum conscientiam esse, nec appetitus & aversationes habere posse, in propatulo est. Nam dum eorum, quæ tanquam extra nos repræsentantur, conscientia sumus, *cogitamus*; sed omnis cogitatio, ut jam in §. 5. innuimus, includit *perceptionem* & *apperceptionem*, quæ est actus mentis, quo suæ perceptionis, ipse sibi conscientia est. Hinc sine *apperceptione*, adeoque *conscientia sui*, in qua hæc fundatur, perceptionibus aliarum rerum non datur locus. Idem etiam de facultate appetendi & aversandi patebit; nemini enim ignotum esse existimamus, nos actu ipso nihil appetere, nisi quod ut bonum nobis cognoscimus, nec quidquam aversari, nisi quod ut malum nobis repræsentamus: hinc cum ex proxime allatis patefacit, animam absque sensatione sui, nullius rei à se diversæ conscientiam esse; liquet sine illa, nec appetitui nec aversationi locum dari. Sed in §. 4. ex propria cuiusvis experientia demonstravimus sensatio-

sensationem sui, animæ constanter & inseparabili-
ter competere; est itaque in essentia animæ fun-
data. Hinc sponte quasi fluit facultatem attenden-
di, comparandi & reflectendi, sine quibus nec sen-
satio sui, nec aliarum rerum consistere potest, uti
ex §. 5. patet, non minus animæ vi essentiæ com-
petere. Præter sensationem sui, quivis ad ea,
quæ in se ipso contingunt attentus, deprehendet
animæ impressam esse vim expetendi perfectio-
nem & vitandi contraria, eandemque competere
eidem semper & inseparabiliter. Nam si modo
quo diximus eidem non competeteret, eo momen-
to, quo cessaret, nihil appetere vel aversari pos-
set, adeoque nullius vel mali vel boni conscia es-
set; quod proxime demonstratis repugnat. Hinc
itaque tendentia ad status sui perfectionem, in i-
psa animæ essentia fundamentum agnoscit. Si i-
taque jam uti demonstratum dedimus, sensatio
sui, una cum facultate attendendi, reflectendi &
comparandi, ut & tendentia ad perfectionem sui,
in essentia animæ fundantur; patet laudatas facul-
tates, animæ etiam post mortem competere. Sed
hæc nondum sufficiunt, ostendendum namque in-
super erit, facultates quæ conscientiam sui consti-
tuunt, in perpetua activitate conservari. Ex dictis
facili fluit consequentia, animam quamdiu existit,
suam retinere essentiam invariataam, adeoque sem-
per perdurare in sensatione sui, sibi essentiali. In
illa autem perdurare nequit, nisi simul utatur fa-
cultate attendendi, comparandi & reflectendi; ani-

ma itaque post obitum, continuo harum gaudet usu. Sed genuino harum usu, non potest non pertingere ad claras & distinctas ideas; evolvit igitur anima corpore separata ejusmodi ideas, non vero involvit easdem. Idque eo magis, quod ad formandas hujusmodi perceptiones, multo aptior, post solutionem a corpore evadat, quam eidem unita; nam tum ope imaginationis & sensuum, mirum quantum in claritate idearum perturbatur. Impium præterea foret, aliud de ea judicare, & in bonitatem atque justitiam Divinam manifeste injurium, cum anima ejusmodi perceptionibus destituta, nec poenarum nec præmiorum tangeretur sensu. Immota igitur manet veritas, animam in eum nunquam pervenire posse statum, quo claris & distinctis careat ideis; & hinc æviterno non sopitur somno, ut *Mejero* placet, sed in omne ævum in statu idearum distinctarum perseverat. Cogitandi autem hi actus, per quos ad ideas distinctas datur progressus, quosque anima per demonstrata continuo exercet; non possunt non fieri, secundum regulas logico morales, quæ fundamentum in ipsa ejus essentia agnoscunt; adeoque necesse est, ut cogitatio una alteram, ordine his regulis conformi insequatur. Ex allatis parimodo liquet, appetitus & aversationes, ex ipsa essentia animæ quæ immutabilis est, dependere, & per consequens etiam eidem post discessum a corpore competere, animamque omnium illarum conscientiam esse, eo est evidentius, quo certius ex dictis constet, animam appete-

appetere & aversari haud posse, nisi se ab aliis rebus, & res alias a se discernat.

§. VIII.

EX iis, quæ jam jam sunt demonstrata, non a deo longo ratiociniorum syrmate concludi potest, repræsentationes & appetitus animæ a corpore separatæ, cohærere cum iis, quos perdurante adhuc utriusque partis unione habuit, seu animam post discessum e corpore, pollere facultate ideas ante a se habitas reproducendi & reproductas recognoscendi. Si etenim certum est, quod certissimum esse nuper evicimus, animam scilicet post horam corporis decretoriam, in statu idearum distinctarum & appetitum sicut & aversationum rationalium permanere; sponte sequitur, illam & retinere facultatum intelligendi & volendi non turbatum exercitium, utpote sine quibus, ad distinctas ideas non datur aditus. Exserit autem se facultas intelligendi, per tres sic dictas operationes mentis: erit itaque in eo etiam statu apta, ad illas exercendas. Ratiocinatio autem, quæ tertiam ex laudatis operationibus constituit; sine memoria & quidem judiciosa peragi non potest vid. *Waller. Psych. Rat. §. 66.* Si ergo adscribenda erit animæ, facultas formandi ratiocinia, quam ipsi omnino adscibendam esse, extra omnem dubitationis aleam ponunt ante allata; tribuenda etiam erit ipsi memoria eaque judiciosa. Ut adeo anima ideas, quas dissoluto nondum vinculo, ipsam inter &

corpus, habuit; post idem dissolutum, reproducere, reproductasque recognoscere queat. Sed reproducta & recognita, distincta aliqua boni vel mali idea ante habita; recurret quoque necesse est, appetitus vel aversatio rationalis, hac boni vel mali idea, ceu genuino suo motivo determinata. Hunc vero appetitus & aversationis actum exacte respondere iisdem actibus, quæ in tempore, earundem rerum representationem insequebantur; item vi memoriae judicioræ sibi competentis, cum deprehendere non possit non anima humana: evidens est eandem in æviternum, quæ in tempore fuit, ideas inter distinctas & appetitus vel aversationes rationales, in anima hominum obtinere relationem, illamque & idearum a se cum corpore unita habitarum, quemadmodum & appetitum vel aversationum, quibus se vel delectare annisus vel adfligi passus est; memoriam conservare. Qua ex re, cum ad identitatem sui ipsius, tuto concludere queat; nullum remanet dubium, quin anima corpore soluta agnoscat se esse eandem, quæ olim fuit corpori juncta, seu animam memoriam sui retinere.

§. IX.

EVICIMUS ergo jam, animam cum corpore non concidere; sed potius natura sua in æviternum perdurare. VICIMUS etiam, statum idearum confusarum, eo minus metuendum esse; quo certius anima corpore soluta, gaudeat non turbato, attentio-

tentionis, comparationis & reflexionis usu ; quo ipso non potest non distinctas semper evolvere ideas non vero involvere easdem. Ex his tandem deducimus , eandem memoriam sui, in omne ævum conservaturam fore. Verum enimvero ens illud , cui singula hæc competitunt prædicata, est per ea, quæ in §. 3. dicta sunt, immortale: erit itaque anima humana immortalis. Et hæc jam sunt, paucissima illa, quibus immortalitatem animæ humanæ , ex ipsa ejus natura & indole, demonstrare annisi sumus; quæ ulterius persequi, angusta rerum supellex prohibet. Festinanti itaque cursu ad finem properantes , heic jam subsistimus; eo imprimis ex capite contenti, quod cum ad specialiora descendere, nobis prohibitum fuerit, demonstrationes tamen generaliores, in medium proferre licuerit, ex quibus sine longa ratiociniorum serie, nova elici possunt argumenta, ad eos confutandos, qui fundamenta omnis religionis subruturi, animas humanas mortales statuunt. Hinc tamen priusquam digredimur, non possumus non satis mirari, Collectores actorum Lipsiensium, pro Anno MDCCLV. & MDCCLVII, aliena a nostris hoc in punto docere; ut e censura commentationis Caroli Casimiri L. B. de Creuz de natura animorum Lipsiæ calendis Decembr. & Novembr. promulgata, cuivis est videre. Ingenue quidem fatemur, alienissimos nos ab ea esse sententia, ac si dicti Collectores, easdem cum irreligionariis inflarent tibias: ne tamen his aliquid apud eos præsidii

fidii relinquatur, non possumus non præterire, quin aliquid circa hæc ipsa moneamus. Ut itaque paucis nos hinc expediemus; sequentia corollidis loco in medium proferre lubet. In §. 5. Dissertationis nostræ, ostendimus intelligendi vim materiæ incommunicabilem esse; Recensores e contrario actorum Lipsiensium, existimant DEUM pro ea, qua gaudet facultatis magnitudine, vim istam eidem addere posse. Rationes adferuntur, si bestiæ sine animis cogitant; cur non idem, de Homine adfirmandum erit. Sed quæ quæso consequentia; bestiæ cogitant & animæ eorum materiales forte sunt; humana ideo etiam erit. Si vel maxime concederemus, quod tamen minime concedendum est, animas scilicet brutorum esse materiales; nihil tamen inde sequeretur aliud, quam quod adversariis demonstrare incumberet eas cogitare. Haud diffitemur, bruta sensibus gaudere externis, imaginatione & memoria animali; inde tamen nulla ratione sequitur, eas cogitare, utpote quæ magis adhuc præsupponit. Pergunt objiciendo: *Animæ sine corpuseulo, quocunque demum, esse nequeunt; ab eodem itaque non differunt.* Sed probent majorem, h. e. ostendant animam corpusculo carere haud posse, nec fulcrum sententiæ in hypothesisibus querant, sed hæret aqua. Néque magis ac allata, veritati nostræ adsertionis officere videatur argumentum, quod ex falsitate hypotheseos causarum occasionalium petere solent, dicendo: *Continuatio impulsionum Divininarum, quas occasonalismus*

lismus ponit, est improbabilis; non itaque omni desti-
 tuitur fundamento, materiam cogitare posse. Sed
 quis quæso inde, Quod DEUS non statuatur so-
 lus, causa efficiens immediata, omnium action-
 num & effectuum naturalium, colligat ad nega-
 tionem omnis alius, quam causæ materialis; nisi
 simul insulse fatis, omnes operationes Angelorum
 vel neget, vel eos materiales esse adfirmet. Nul-
 lum itaque ex rejecta hypothesi causarum occasio-
 narium, pro materia cogitante, peti potest argu-
 mentum. His itaque pondus addituri, dicunt: *In-*
fluxum Physicum efficere ut anima & corpus, eo-
dem ex genere esse videantur. Precarium certe hoc
 est, quis enim unquam statuit, illud quod in al-
 terum agit, vel cum eo unita est, ejusdem cum
 altero illo esse indolis: nisi stultissime adserere
 velit, DEO ideo, quod immediate in res, eas
 conservando agat, corpoream competere molem,
 & homines fideles, vi unionis mysticæ ejusdem
 cum DEO esse naturæ. His omissis alio ex capi-
 te insurgunt, urgendo: *Animas sua natura in avi-*
ternum permanere haud posse, præsidium adserti
quærentes in Auctoritate Stoicorum, statuentium a-
nimas post mortem aliquamdiu quidem, non ta-
men semper remanere. Sed ut pace Collectorum,
 quos citavimus dicam, hæc argumentandi ratio,
 æque absurdâ mihi videtur; ac si quis dogmata
 falsissima, eo nomine defendere vellet, quod anti-
 quioris ævi Philosophi, eidem errori addicti fue-
 rint. Testimonia quidem aliorum, haud conte-
 mnen-

mnenda existimamus, si rei & sanæ rationi conformia docuerint; sin autem ex eo in devia prolapsi sint, demonstrationes recentiorum, legitime inter se connexæ, quin anteponendæ sint, nulli dubitamus. Nihil itaque ad nostram sententiam evertendam, crassa & pingvia Stoicorum valent effata. Aliud itaque necunt argumentum dicendo: *Omne quodcumque natum est interit; adeoque etiam Anima.* Sed omni in re fundamento, hanc carere existimaverim argumentationem: quis enim, dixit, animam eodem ac corpus oriri modo; quis omne quod existere incipit; ejusdem corporeæ scilicet esse naturæ, quæ tamen ut immota, a collectoribus actorum Lipsiensium præsupponuntur. Demonstranda certe hæc sunt, priusquam pro veris & indubitatis adsumi possunt. Hoc autem eo minus fieri potest, quo certius hæc ipsa, essentiæ ac naturæ animæ, quæ simplex est repugnant. Sed his nondum subsistunt Lipsienses, verum ulterius adhuc progrediuntur, urgendo: *Animarum annihilationem, attribuitis Divinis non repugnare; nam si id fieret, omnis actionum variatio in DEO pugnam moveret; adeoque videndum esset, ne DEUS parum, certe hominibus minus valere videatur.* Isti quidem ut lubet, modo initium alicujus rei molientes faciunt, modo finem. Sed DEUS posito hoc mutationum adeo impatiens esset, ut nihil incipere posset aut finire, sed eandem cogitationum, confiliorum & actionum tenorem, sine omni varietatis delectatione perpetuo & omni æternitatis tempore, tanquam catalepticus

lepticus servare deberet. Sed nec hoc ipsum, majori ac reliqua, eminere nobis videtur dignitate. Hominum quidem cogitata, consilia & actiones mutantur & mutari oportent; quippe quibus non concessum sit, propter finiti intellectus limitationem, in omnibus casibus, *ex priori* colligere, quid optimum, finique obtinendo maxime accommodatum sit: necesse itaque est, *ex posteriori*, propria nempe experientia, exemplis & eventibus discere, quæ antea nescivere. Hinc itaque necessitas mutationum, in consiliis & actionibus eorum conspicua, derivanda erit. Ast ex negatione mutationum, in decretis Divinis fundatis in ipsius omniscientia, concludere ad limitationem omnipotentiæ Divinæ; eo est absurdius, quo certius ejusmodi mutations, sint certissima indicia, limitationis & finitudinis entium, quæ immutabili DEO nunquam adscribenda erit. Desinant itaque eruditissimi viri hujusmodi rebus ludere; desinant inquam sibi persuadere, ex adserita continuatione animæ in æviternum perduratura, sc. qui: *illas non amplius rebus fortuitis seu contingentibus annumerandas esse.* Vana certe hæc est perswasio: *fortuita* enim seu *contingentia* nobis dicuntur, quæ rationem existentiæ aliqunde habent, *necessarium* vero, quod vi propria existit. Hinc animæ licet in æviternum perducent, rationem tamen existentiæ suæ ejusque continuationis, semper in DEO ejusque generali ad existentiæ conservationem concursu agnoscant. Manent itaque animæ, vi definitionis, res continentes;

gentes; sive in æviternum perdurent, sive minus.
 Sed sufficientant hæc jam de Collectoribus actorum
 Lipsiensium & eorum commentary Creuzianæ,
 examine notaſſe. Claudimus itaque, hæcce mele-
 temata qualiacunque voto: Faxit DEUS T. O. M.
 ut certissima illa immortalitatis animæ cognitio,
 qua in tempore nos instructos gloriāmūr,
 in altera, O utinam felici vita!
 ulterius confirmetur & augeatur, quo
 sic lætabundi, æternas prædicemus

SOLI DEO HONORES.

